

Quae scriptura quum ipsi rei aduersetur; quum Dae-
 dalus et Icarus a nemine veterum filii Minois dicantur:
 Tollius ei ita succurri posse putabat, vt legeretur,
 mutatis Numeris, *υἱὸν αὐτῆς ὄντα*. At vero
 sic et verba illa ab eo nomine, ad quod pertinent,
 remotiora sunt, quam vt videri possint ab scriptore
 eo, quem ipsa rerum, quas persequitur, natura
 amplecti iusserit lenem orationem et placidam, illo
 loco esse posita, et Participium verbi substantiuū
 nullo modo, per naturam et leges linguae, ferri
 potest. Drefigijs igitur, qui videret, quibus dif-
 ficultatibus premeretur Tolliana coniectura, ausus
 est rescribere in exemplo suo *διὰ τινος αἰτίας ὑπὸ*
αὐτῆς ὄντας, vt Minos Daedalum et Icarum sibi ob-
 noxios in carcerem inclusisse diceretur. Quae
 emendatio etsi valde blandiatur Graecis et eruditis
 auribus; neque enim longe repetita est, neque ab
 ingenio linguae et ipsius rei aliena: tamen nobis
 propterea non satisfacit, quia Icarus, Fabula extrema,
 dicitur a parente sepultus esse, vt videatur antea di-
 ctus a Mythico filius Daedali. Itaque ipsum Palaep-
 phatum putabamus scripsisse, *Φασὶν ὅτι Μίνως Δαί-
 δαλον καὶ Ἰκαρον, τὸν υἱὸν αὐτῆς, καθείρξε διὰ τινος*
αἰτίας quae scriptura non modo re ipsa adiuuatur
 consilioque et natura orationis, sed Britanicorum
 quoque Codicum auctoritate firmatur, in quibus hic
 locus totidem verbis scriptus, Galeo teste, reperie-
 batur. Neque vero posteriores Palaephati editores
 in Europae Fabula *) pro *Εὐρώπην τὴν Φοίνικος*, quae
 erat Aldini Codicis lectio, rescribere debebant *Εὐ-
 ρώπην τῆς Φοίνικος*. Nam etsi non ignoro, extare
 in libris nonnullorum scriptorum editis locos, vbi

nomi-

*) C. 16